

A. S. S.<sup>a</sup> T.

EXERCITATIO THEOLOGICA,

De

# COMMUNIONE NATURARUM IN CHRISTO, PRÆDICTIONIBUS PERSONALIBUS, ET COMMUNICATIONE IDIOMATUM;

Quam,

*Divinā fave[n]te Clementiā,*  
*Ad Mandatum,*

*Serenissimi Potentissimig[is] REGIS ac DOMINI  
nostrī Clementissimi,*

**PRO LICENTIA DOCTORALI**  
in Theologiā,

*Publico ἐνσεβῶς Θεολογικέρων examini proponit*

**P E T R U S L A U R B E C C H I U S**

S. S. Theologiæ Professor Ordinarius,

RESPONDENTE

M. ARVIDO A. ROTHOVIO, Satag. Finlando,


S. S. Theol. Studio:

Ad diem 10. Maji Anni Christiani CIC. DC. LXXXIX.  
horis ante- & pomeridianis,

In Auditorio Academiae Maximo,

A B O Æ,

\*  
Impr. apud JOHANNEM L. WALLIUM, Regiæ Univ. ib. Typogr.



IN CHRISTO DUARUM NATURARUM COM-  
MUNIONE, EARUNDEMQUE COMMUNICATIONE  
PROPRIETATUM.

§.



iqvidem de *CHRISTO articulum* constat o-  
mnium esse temporum, Hebr. 13: v. 8, 9.  
ibidem 10. v. 7. Psal. 40. v. 8. Joh. 5. v. 39,  
46. atq; ita comparatum, ut ejus fine  
cognitione nemo hominum peccatorum  
salvari possit, quippe quando *Christus*  
est nucleus & meta omnium in scripturis sanctis revela-  
torum, Joh. 17. v. 3. Act. 4. v. 12. Ibidem 10. v. 43. id te-  
nendum venit, doctrinam de *Christo articulum Fidei* consti-  
tuere, eumq; fundamentalem primarium, & fundamenti salu-  
tis constitutivum, 1. Cor. 3. v. 11. Eph. 2. v. 20. Accedit, qvòd  
Christus Ἰάρθωπος, Deus & Homo in unā personā, sit Media-  
tor noster apud Deum, 1. Tim. 2. v. 5. seq. utpote cuius me-  
rito & satisfactione Pater cælestis movetur, ut nos in  
gratiam recipiat, Hebr. 9. v. 15. Matth. 20. v. 28. Eph. 1. v.  
6. seq. Coloss. 1. v. 13. seq. 1. Thess. 1. v. 10. Tit. 2. v. 14. eā-  
tenus quippe *Christus objectum* constituens est *Fidei salvifice*, in  
ejusdem definitione indigitandum, Joh. 3. v. 15. seq. 1. Joh.  
5. v. 5, 10. seq. Unde B. Dn. D. Kromayerus de hoc eo-  
dem articulo Theol. Positiv. Polem. pag. 186. monet: *Chri-*  
*stus* *ut Mediator noster, & quidem Ἰάρθωπος*, *ipsam Fidei sal-*  
*vifice definitionem ingreditur. Quæ verò fidei definitionem ingre-*  
*diuntur, aut immediate substant, illorum explicitam habere no-*  
*titiam convenit. Verùm fraus & astutia Satanæ, hæreti-*  
*corumq; maligna pravitas, in nullo Fidei Christianæ my-*

Argu-  
menti  
dignitas,  
& neces-  
ritas.

A

sterio,

sterio, quam hoc palmario & præcipue fundamentali, nempe de Christi Personâ & officio, studiosius vafritiem suam prodiderat, vel evertendo, vel corrumpendo, vel obscurando: ceu de hæreticis omnium ferè temporum ex historiis palam est, qui Christi modò *divinitatem*, cum Ario, modò *humanitatem*, cum Apollinaristis aliisq; ipsorum complicibus, modò *naturarum dualitatem & distinctionem*, cum Monophysitis & Eutychie, modò *unionem earum personalem*, cum Nestorio, modò *naturarum communionem*, velut Samosateniani, Nestoriani, & horum eâtenus sequaces, Iesuitæ ac Calvinistæ, modò *proprietatum seu idiomatum inter naturas communicationem ad invicem*, ceu plerique Calviniani ac Pontificii, negant, convellunt, impugnant. Et quidem gravissimorum decretis conciliorum, Niceni contra Arium, contra Nestorium Ephesini, Chalcedonensis contra Eutychen, jam olim veritas hujus articuli, in momentis tunc controversis, ita ex scripturis clarissimis vindicata est, ut damnatas in illis sententias nemo deinde recoquere, aut in lucem revocare ausus sit, sine notâ hæresios ab Ecclesiâ Christianâ unanimiter proscriptæ.

*At communionem in Christo naturarum, & communicationem idiomatum*, etsi Calvinistarum & Jesuitarum pleriq; negant, aliqui etiam vafre explicant & detorquent; hæreticorum numero censeri propterea tamen indignè ferunt, humanae rationis captu arcana hujusmodi metientes, quæ nihilominus eminenti modo humanum intellectum excedunt. De qibüs, eorumq; similibus, ita cenlet magnus ille Theologus B. D. Chemnitius, de Duab. Nat. cap. 12.

*Qui de ipsis Naturis, ac de earum unione, rectè se clamitat sentire, si ea, quæ ex unione illâ, juxta scripturam, oriuntur & consequuntur, vel negat, vel non sanè ea exponit aut intelligit, eum de ipsâ etiam unione, quæ nec confusionem nec separationem admitit, non posse rectè sentire certum est; id quod non in Nestori*

tantum exemplo, sed in multorum nostri temporis disputationibus 3  
conspicuum est. Non minus igitur diligenter, quam de ipsis Na-  
turis, ac earum unione, hac etiam pars doctrine de iis, qua ex  
hypostaticâ diuarum in Christo Naturarum unione oriuntur & con-  
sequuntur, juxta scripturam explicanda & tenenda est. Qvare Instituti  
haud abs re facturum me existimo, si Pontificiorum &  
Calviniseqvarum absurditatem hæreticam, in suprà in-  
digitatis momentis, demonstravero, idq; (1) Circa Com-  
munionem in Christo Naturarum, (2) Quà Prædicationes Perso-  
nales ex hac communione ortas, (3) Quà idiomatum communi-  
cationem trium generum, & singulorum Prædicationes Idiomsati-  
cas. Adspiret Jehova cæptis!

## CAP. I.

### DE COMMUNIONE DIVINÆ & HUMANÆ NATURÆ IN CHRISTO.

#### §. I.

Erant aliquando, qui ad vocabulum *Kοινωνίας*, commu-  
nionis seu communicationis, trepidabant, quasi eo invol-  
vatur confusio, transmutatio, aut *exæquatio* Naturarum, & u-  
triusq; proprietatum in Christo, qvæ verum discriminem  
Naturarum in Christo everterent. Veteri verò Ecclesiæ  
usitatissimum fuisse hoc vocabulum, probat Chemnitius,  
loco laudato; nec ea vis est vocabuli *Kοινωνίας*, ut vel  
confusionem, vel exæquationem tecum trahat. V.g. Cum  
sanctis & in sanctis est *Kοινωνία* Spiritus S. 2. Corinth. 13.v.ult.  
non tamen ideo, vel sit, vel cogitur, sive confusio, sive ex-  
*æquatio* substantiarum, Spiritus S. & credentium. Qvare  
illud hic omnino, declarationis & præmunitionis  
gratiâ, utile est ac necessarium, disertè addatur perspi-  
cua declaratio, qualis *Kοινωνία*, communio seu communicatio,  
in hoc mysterio intelligatur. Nequaquam enim talis fit  
aut est communicatio, quasi proprium unitæ nature fiat & sit

A 2

Vocabulū  
*Kοινω-*  
*νίας*  
ratio &  
significa-  
tionis

alterius naturae proprium, quodve una Natura in Christo est & ha-  
bet, illud altera natura sit, sit & habeat essentialiter, in se se aut  
secundum se. Talis namque communicatio confusa esset,  
transmutatio & exequatio naturarum, quarum tamen differen-  
tiam salvam esse & manere in ipsa unione, certum est. Non  
fanè ex unione oritur & consequitur novarum, communio seu  
communicatio, vel physice effusionis, vel essentialis transmutatio-  
nis, vel formalis exequationis, sive naturarum, sive idiomatum;  
sed novarum unioni hypostaticæ consentanea, quæ nec confusio-  
nem, nec separationem admittit; ceu dextrè & graviter cen-  
set, ubi ante, Chemnitius. Hoc sensu itaq; ex unione per-  
**Naturas**  
**rum in**  
**Christo**  
**commu-**  
**nionem;** ex personali Divine & Humane naturæ in Christo, immediate fluit  
ipsarum Naturarum communio, ex hac autem Idiomatum quo-  
que communicatio. Illio enim propter Naturarum communio-  
nem, communio Naturarum propter Idiomatum communicationem;  
Hec propter Ieardie ex*in* (in triplici officio) Christi operationem,  
facta est, ajente B. D. Scherzero Breviarii Hulsemanniani  
cap. 7. ad th. 14. Unde unionis primus effectus & immediatus est Naturarum communicatio, secundus verò & mediatus communicatio Idiomatum existit. Quidque unio hypostatica, cum ex Concilii Ephesini Can. 13. modus sit substantialis, su-  
pernaturalis, & profundissimus, absq; communicatione facta,  
non est. Hinc tritum illud veterum: ubi unio, ibi etiam  
communio. Infimus siquidem hic conjunctionis gradus est,  
adeòq; non *coextensio*, sed *coextensio*, qui absq; communica-  
tionis mutuae participatione perficitur. Qvod di-  
fertè asleverans etiam B. Chemnitius, ubi supra, Non ve-  
ns est, inquit, hypostatica unio, ubi nulla prorsus, vel sit, vel  
est, vel intercedit inter naturas unitas, & inter earum Idiomata,  
communio vel communicatio, differentie naturarum & unitati  
personæ consentanea & correspondens, vel ubi altera natura cum  
alterâ nihil habet confortti & commercii. Et qui singit unionem,  
sine tali communione, is & se & alios seducit. Nestorius enim,  
licet

licet clamitabat se credere unionem, tamen quia communionem seu communicationem inde sequentem negabat, damnatus est. Confer hic omnino Epit. Formul. Concord. affirm. n. 6. & Declarat. pag. m. 738. seq.

2. Nihilo autem secius, quod Naturarum in Christo huiusmodi communio facta sit, aut fieri potuerit, cum Calvinistis negant Jesuitae; idque secundum placita veteris haeretici Pauli Samosateni, qui τοις δύο Φύσεις πρὸς ἑαυτὸς ἀντίτροπαι τοις μετανάσταις εἰς χειρῶν, Humanam tantum ejus naturam agnoscens, adfirmavit. Sed hanc Naturarum in Christo communicationem evincunt, (1) Scripturarum divinarum oracula, Colos. 2. v. 9. Heb. 2. v. 14. hanc seqvelâ evidentissimâ: In quo tota Deitatis plenitudo habitat, σωματικῶς & arctissimo inhabitandi modo, inter illud & inhabitantem Deitatem datur communicatio: Quām verē etiam & propriā participatione pueri communionem habent carnis & sanguinis, ita consimiliter de iisdem ὁ λόγος participavit. Ergo etiam Humana Christi natura communione fruitur inhabitantis Deitatis, & λόγος Humanam naturam verē & proprie participavit, sicut pueri proprie & verē eandem participant. Confersis Joh. 1. v. 14. Phil. 2. v. 6, seq. (2) Momenta rationum ex analogiâ fidei: Utpote (a) si ὑπίσχεσι τῷ λόγῳ carni adsumta verē & realiter est communicata, utiq; inter Divinam & Humanam naturam adsumtam est vera & realis communicatio; Quidque ὑπίσχεσι τῷ λόγῳ & divina ejusdem natura, non differunt realiter: (3) Si non est realis Naturarum communicatio in Christo, Filius Dei nec erit verē & realiter ἐνορψώθει seu factus homo, nec opera τῷ λόγῳ propria de adsumtâ humanitate verē & realiter predicari poterunt, nempe quod sangvis Christi nos mundet à peccato, i. Joh. 1. v. 7. quod per mortem Filii Deo simus reconciliati, Rom. 5. v. 10. Colos. 1. v. 21, seq. &c. Quæ omnia absurdâ sunt & à visu. Adisis B. Gerhardum in Locis, hæc pluribus edocentem.

6. 3. Dispalescit hinc proinde, quām perniciose in hoc  
Vindica- puncto errent, (1) Jesuitæ, qui *Communionem naturarum in*  
tur. *Christo, tantum in persone communicatione, non simul in communica-*  
*tione naturarum factam esse defendant: Contra Scriptu-*  
*ras superius allegatas, Colos. 2. v. 9. Hebr. 2. v. 14. Nempe*  
*hoc pacto Naturas in Christo separant, & Nestorianam*  
*ωδησασιν reducunt: (2) Calviniani, qui *Communionem natu-*  
*rarum per sustentationem & gestationem* definunt, quam Hu-  
manitas ἀ λόγῳ accipiat, sine ωδησασιν communicatio-  
ne ad unum constituendum οὐτάμενον: Cūm ex adverso,  
hic error sit maxime fundamentalis, per quem, negatā naturarū  
communicatione ac ἀδασασια internā, ipse Christus solvitur;  
etiam nec per sustentationem & gestationem. Actus persona-  
lis plenē & distincte exprimatur, utpote quæ actum pariter  
secundum notant toti Trinitati competentem, omnibusque  
creaturis participationem communem, nedum soli Christo  
proprium, Hebr. 1. v. 3. Act. 17. v. 28. Qyin vigore Unionis  
Personalis, Caro assumta non sustentatur tantum ἀ λόγῳ, sed in  
λόγῳ reverâ subsistit, D. Kunadus Compend. disp. 3. th. 4. Alio-  
qui hâc ratione, ἀντισυμâ Nestoriana ᄘ Calvinistis ex or-  
co revocari, quis non videt? (3) Sociniani, qui *Communio-*  
*nem Naturarum Christi, per gratiosam inhabitationem Dei in*  
*carne humana, describunt: ubi tamen non attendunt, inha-*  
*bitationem ejusmodi esse separabilem, & communem cum o-*  
*mibis Sanctis, Ezech. 18. v. 24. Joh. 14. v. 23. cūm econtra,*  
*Communio Naturarum in Christo sit μονότονη, prorsū ut u-*  
*nio earum personalis, hancq; eandem ob causam, in o-*  
*mnenm æternitatem inseparabilis.* §. Hinc ad objectionem:  
Si realis esset Naturarum communicatio, consequens fore, Divinam  
naturam esse Humanam, & Humanam naturam esse Divinam;  
Respondetur, negando seqvelam. Namq; (1) aliud est Na-  
turarum essentialis mutatio, aliud realis caruadem communicatio.  
Non illa, sed hæc afferitur. (2) Ex unione nata cœrdicior, qva*

qvalis est *unio personalis*, prædicatio oritur, non *avvavūμως*  
& in *abstracto*, sed in *concreto* & *ταχείως*: ut enim non di-  
citur, *Ferrum est ignis*, sed *ignitum*, ita nec *πονηρῶς* dicen-  
dum, *Humanitas est Deitas*, sed *ὑπερπλήνως*, *Homo est Deus*,  
*Humana natura est deificata*, *Caro est Deus*, &c: Videſis  
Gerhardum h̄ic §. 153.

4. An verò *communio* haec *Naturarum in Christo*, actus  
sit ab *unione Personalis distinctus*, ex eāq; *consequens*, sive po-  
tiū cum eādem *prosūs idem?* haud levis dubitatio sub-  
nascitur ex noſtratiū DD. in explicando *discrepantiā*.  
Dietericus in Cateches. de Pers. Chrif. qq. 12, 15. *Commu-*  
*nionem Naturarum in Christo*, *unionis personalis formam*,  
dicit, & *differentiam specificam*. Mentzerus Aug. Confess.  
exeges. art. 3. item Oſiander System. Theol. part. 2. Exerc.  
59. Th. 17. *Communionem Naturarum unioni personali*, tan-  
quam *actum partialē*, includunt: Etiam *unionem perso-*  
*nalem per Communionem Naturarum*, earumq; *περιχώρησις*  
& *immaculationem*, definiunt, Gesnerus, Kœnigius, Misle-  
rus, Kromayerus, Olearius, aliiq; complures. At contrā  
docent, Chemnitius uterq;, Gerhardus, Calovius, Hüt-  
terus, Dannhawerus, Botſaccus, Brochmandus, Friedli-  
bius, Hulsemannus, Scherzerus, & pleriq; cæteri, *Commu-*  
*nionem Naturarum unionis Personalis Effectum*, & *immedia-*  
*tum consequens statuentes*, ceu ex quā fluant *predicationes*  
*personales*, ipſaq; dependeat *Communicatio Idiomatum*. Ve-  
rūm diffensus hic facilem admittit reconciliationem.  
Namq; *unionem Personalem* extenderunt *latius* illi priores,  
ut quoq; *communionem Naturarum* includit, *immediatum* sui  
*consequens* & *effectum*. Quo nomine Oſiander ait, loco  
allegato, *unionem Personalem* comprehendere (1) *Arctissi-*  
*mam Naturarum presentiam*, (2) *Profundissimam* earum *περιχώ-*  
*ρησις*, sive *immanentiam* & *permeationem*, (3) *Unius ὑφεσμέ-*  
*ris constitutionem* mutuam. Quia etiam *Spiritus S. in scri-*  
pturis

8 pturis unionem personalem describit per Naturarum in Christo communionem, 2. Corinth. 5. v. 29. Colos. 2. v. 9. &c. indeoq; hanc statuerunt illius, vel formam & differentiam specificam, vel actum saltem quasi integrantem; idq; ut fortius stringerent nestorianizantes Iesuitas & Calvinianos, qui communionem Naturarum negatum eunt; secteturum quippe ex hac ipsorum assertione, neq; esse aliquam unionem personalem, ut quæ per Naturarum in Christo communionem, sive constituitur, sive integratur. Cæteri autem posterioriis memorati, præcipue attendunt communionis Naturarum originem, quod ab assumptione humanitatis in ὑπόστασι τῷ λόγῳ Joh. 1. v. 14. immediate oriatur & dependeat, ut effectum & conseqvens; ideoq; unionem personalem strictius constituunt, nempe cuius forma in communicatione ὑπόστασι τῷ λόγῳ consistat, cuius effectum, scilicet communio Naturarum, neq; forma, neq; pars unionis personalis esse queat. Atq; hoc omne ex prævio ductu Formulæ Concordiæ tenent, Epit. art. 8. affirm. n. 5. Declarat. pag. 739.

Eius propriae, 5. Primus itaq; effectus unionis Personalis est Naturarum communicatio, seu intimus singularisq; proprius modus *μεταχώρωσις*, quam divinitas Naturam humanam permeat, superaddens unioni personali intiomorem coexistentie & cohabitationis modum, quam est inter animam & corpus hominis, coëuntia in unam personam humanam. Hocq; inde ratum est, (a) quod sicut Anima hominis non communicat *τοῖς σώμασι* suam corpori, ut dici possit *facta corpus*, at λόγῳ suam *τοῖς σώμασι* communicat carni, ut reverâ dicatur, *Verbum caro factum est*, Joh 1. v. 14. unde arctior est unio inter duas naturas Christi, quam inter corpus & Animam hominis; conseqventer patet, ob tam arctam unionem, tanto magis esse *μεταχώρωσις* & Naturarum communicationem inter divinitatem & humanitatem, quam inter animam

mas & corpus: ( $\beta$ ) Anima hominis à corpore separari potest, & separata extra corpus subsistere; Christi vero divinitas, post unionem, ab humanitate amplius separari nequit, neque extra illam subsistere, cum quā etiam in triduo mortis uniebatur: Qvare Naturarum Communio in Christo tanto intimior est, magis inseparabilis, quam Communio Corporis & animæ in homine: ( $\gamma$ ) οὐκ εἰσι τοιχωγεῖς unitus humanitati, ideoq; inter λόγον & humanitatem est arctissima communio; Qvæcunq; enim τοιχωγεῖς unita sunt, illa inter se communionem habent, eamq; arctissimam, arg. Ioh. 14. v. 10. Hæc autem τοιχωγεῖς, non est essentialis, qvalis inter personas S.S. Trinitatis, nec naturalis, cœi inter animam & corpus, sed Personalis, Hulsemannus Breviarii Scherzer. cap. 7. th. 14. Hinc fit evidens, qvòd Communio seu Communio Naturarum Christi, non sit earundem commutatio vel permutatio verbalis, ut per prædicationem sive denominationem verbalem una Natura dicitur altera; Sed, qvod ex solâ Scripturâ cognosci potest, Ioh. 1. v. 14. Luc. 1. v. 35. Gal. 4. v. 4. I. Tim. 3. v. 16. maximè realis, qua Deus reverà Homo, & Homo reverà Deus exsistit. §. Proinde deliri sunt vel maximè Calvinistæ & Pontificii, hanc Naturarum in Christo communicationem negantes esse realem, aut propriè veram hanc propositionem, Homo est Deus, &c. Etenim immotum est, si realis est Naturarum unio, erit realis carum communicatio, & de se invicem vera & propria prædicatio.

6. Ex annotatis haec tenus momentis, Communio Naturarum in Christo breviter describi poterit, cum D. Botsfacco in Breviar. c. 13. q. 6. quòd sit unionis personalis immediatū consequens, quo Deus est homo, & Homo Deus, personaliter & realiter, Jer. 23. v. 5, 6. Matth. 16. v. 16. Rom. 1. v. 3. Vel, cum Deterico Cateches. de Person. Christ. q. 13. Communio Naturarum est intima, eaque mutua ipsarum Naturarum τοιχωγεῖς, immeatio & ineffabilis participatio, propter quam Deus de Homine, & Homo de Deo, vere ac realiter emunciatur. Et hæc quidem

& describi  
potest.

*μεταχώροντος; in Christo est personalis, propter persone unitatem, si-  
cūt in SS. Trinitate μεταχώροντος est Essentialis, propter unitatem  
essentia. Quæ omnia plenius explicat B. D. Gerhardus in  
L. C. de Person. Christ. §. 148. hāc declaratione: Communio  
Naturarum in Christo est arctissima & intima, divina natura τῷ  
λόγῳ & humana adsumtæ, κοινωνia ac coniunctio, per quam ὁ  
λόγος adsumens humanam naturam personaliter sibi unitam inti-  
mā & profundissimā περιχώρησι permeat, perficit, inhabitat, si-  
biq; appropriat, ut ex utrāq; sibi invicem communicante fiat unum  
incommunicabile, una sc. persona, ac tales resultent prædicationes,  
per quas concretum unius Naturæ de concreto alterius Naturæ ve-  
rè ac realiter prædicetur. §. Ubi notandum, (1) περιχώρησις  
Naturarum dici Mutuam, solum relative, non activè, nec aqua-  
liter. Sicut enim unio personalis à Filio Dei, non ab humanita-  
te orta fuit, quippe sola Divinitas sibi assumpsit & univit car-  
nem, caro non assumpsit λόγον, ita περιχώρησις oritur à τῷ λό-  
γῳ, & non à carne. Nec Humanitas perficit, elevat & exalteat  
divinitatem, sicuti Divina natura exaltavit & permeat huma-  
nam, ut sit in formâ Dei, Phil. 2. v. 6, 9. Unde Hulsemannus,  
Breviarii cap. 7. th. 19. ait: Quambis communicatio, ex parte  
scilicet humane & divina naturæ, sit mutua & reciproca, efficiens  
tamen communicationis, activè movens terminum communicantem,  
ad terminum cui fit communicatio, est solum λόγος, qui assumpsit  
carnem, Hebr. 2. v. 16. (2) Qvia due illæ Naturæ uniuntur in  
Christo, non ad unam naturam compostam, sed ad unam iunctio-  
nem Iesu, ideo non una natura prædicatur de alterâ in abstracto,  
sed concretum unius naturæ prædicatur de concreto alterius na-  
ture. Concretum enim supponit personam, quæ cum constet ē  
duabus Naturis, fit ut una de alterâ prædicetur in concreto. Vi-  
desis Chemnitium, loco allegato, Hutterum Explicat. form.  
Concord. art. 8. p. m. 755. aliosq; plures. Seqvitur*

DE PRÆDICTIONIBUS PERSONALIBUS EX COMMUNIONE  
NATURARUM ORTIS.

## §. I.

**P**redicationes sive Propositiones, in loco de Personâ Christi occurrentes, sunt vel Personales, vel Idiomaticæ, utræq; vel Biblicæ, vel Ecclesiasticae. De Personalibus impræsentiarum, de Idiomaticis, in generibus communicationis Idiomatum agentium erit. Personales autem istæ Predicationes sive Propositiones sunt, ex unione personali & Communione Naturarum orta axioma, quibus concretum unius naturæ de concreto alterius naturæ, modo prorsus singulari ac inusitato, enunciatur. Dicuntur illæ Personales, quia ex unione personali ducunt originem; inusitata, quia ad modum predicandi usitatum non congruunt. Exempla in Scripturis sunt, Jer. 23. v. 5. c. 33. v. 16. Matth. 16. v. 13, 16. c. 22. v. 42, 43, 45. Ps. 110. v. 1. Marc. 15. v. 39. Luc. 1. v. 35. c. 2. II. I. Corinth. 15. v. 47. Exempla in doctrinâ Ecclesie Biblicis æqvipollent, ut Deus est Homo, Homo est Deus. Sunt quoq; Ecclesiastice, aliæ exquisitæ, aliæ sic dictæ populariter. Ille sunt, in quibus concretum naturæ unius predicatorum de concreto alterius, ut Deus est Homo, Homo est Deus, &c. Ha minus exquisitæ seu populariter dictæ nuncupantur, quia concretum naturæ predicatorum de concreto persone: ut, Christus est verus Deus, contra Arianos, Christus est verus Homo, contra Valentianos & alios hæreticos, olim adhibitæ propositiones. Usurpatur & nonnunquam, Christus est Θεός πατέρως, ubi tam in Subjecto, quam Predicato, concretum persone occurrit, secundum Cundisium Not. Compend. Hutter. Loc. 3. q. 12. §. 4. §. In ejusmodi Propositionum analysi duo considerationem merentur, Termini nempe, Concretum & Abstractum, ut à Theologis accipiuntur, deinde Terminorum nexus. Concretum autem & Abstractum h̄c, est vel Personæ, vel

Naturæ: etiam concretum Personæ, est vel simplicis, vel composite. Concretum Personæ simplicis, unam duntaxat naturam cum suæ subsistentiâ exprimit; qualia sunt subjecta Propositionum, ex unitione Personalis fluentium. At concretum Personæ composite, utramq; naturam, Divinam & Humanam, unâ cum suâ subsistentiâ indicat; factâ denominatione, vel à Naturâ utrâq;, ut in voce Immanuel, vel ab alterutrâ, ceu vocibus Deus, Homo, & similibus, vel ab officio, velut Jesus, Christus, &c. Concretum verò Naturæ notat ipsam naturam, cum connotatione hypostaseos, in quâ illa subsistit: Sic concreta Naturæ divine sunt, Deus, Dei filius, Iebova, Dominus gloria, &c. humanae autem, Homo, Filius hominis, Filius Mariae, Germen Davidis, Semen mulieris, &c. Huc pertinent locutiones, Deitas incarnationa, Humanitas assumta. Etsi enim Deitas & Humanitas, si in se spectentur, sunt abstracta naturæ, naturam simplicem exprimentia, utræcum verò haud connotantia, qualia in Propositionibus personalibus locum non habent; tamen ad unionem personalem relata concretis respondent, ac eorum indolem præ se terunt, Cundisius, ubi suprà, §. 5. Verum abstractum Personæ non exprimit utramq; naturam, ex quibus persona constat, nempe cum concreto Naturæ coincidens. Hinc regula: Videndum diligenter, cuius concreti abstractum sit, & contra. Pro diverso enim respectu, idem & abstractum & concretum esse potest; nempe abstractum personæ est etiam concretum naturæ. Sed abstractum Naturæ, naturam in se, sine connotatione utræcumque, significat; ut Deitas tribus personis communis, & Humanitas in prædicationibus unitonis, Divina natura, Humana natura, Caro, &c.

Quid in  
earum  
analyti-  
obser-  
vans  
dum,  
qua ter-  
minos,

2. In hujusmodi Propositionum Personalium explicatione & analysi, observanda erunt sequentia: (1) Concretum naturæ formaliter notat alterutram naturam, non quidem abstractivè, & cum oppositione ad naturâ, alteram quæ subjecti vel prædicati loco ponitur, sed concretivè, in ne exwägen ac intimâ circumincessione alterius considerata, cum connotatione hypo-

hypostaseos, ceu causæ unionis & prædicationis. *Concretae* enim nature in utroq; extremo, à terminis concretivis totam Personam ostendit experimentibus non differunt realiter & quoad modum existendi, sed tantum formaliter & quoad modum significandi; cùm secus, istiusmodi propositiones forent mere identice: (2) *Abstractum* & *concretum* res sunt & örtu, non nuda luxuera & ægis absq; re, monente B. D. Gesnero disp. XI. in Form. Concord. cap. 4. Quapropter impingunt Calvinistæ, propositionem hanc, *Filius Mariae est filius Dei*, explicantes per istam, *Hec persona, qua est filius Marie & verus homo, est etiam filius Dei & verus Deus*; quam analysin Nestorius facile admireret, utpote unioni personali & communioni naturarum non innixam. Neque illi ferendi, qui dictam propositionem resolvunt per *Limitationem*, quòd *Filius Mariae* sit *filius Dei*, sc. secundum *Deitatem*; & vicissim hanc, *Filius Dei est Homo*, restringunt secundum *Humanitatem*: utrobiq; enim præsupponitur, cum Danæo in Chemnitium, *prædicationes* istas tantum verbales esse, neq; in personali unione & communione naturarum fundatas. Quo nomine etiam Scholasticis dicam scripsit B. Gerhardus disp. *Isagog* 9. cap. 9. §. 47. propositionem hanc, *Filius Dei est Filius hominis*, in istam resolventibus, *Filius Dei*, qui sustentat humanam naturam, est Deus, quasi *Humana natura ad Filii Dei personam* non spectaret: (3) Propositiones hæ Personales, non ex termino à quo, sed ex termino ad quem explicandæ sunt, quia non tam *unionis actum*, quam *unionis statum* concernunt. In prædicationibus enim *unionis actum* experimentibus, subjecti loco ponitur *Personæ simplicis*, ut *Filius Dei* sc. ἐν φραστοῦ factus est homo; sed in his ad *unionis statum* spectantibus, subjecti loco ponitur nomen *Personæ ostendit*, ut *Filius Dei* (φραστοῦ) est *Filius hominis*. Si ergo subjecti loco ponitur *abstractum*, in illis ad *unionis actum* spectantibus, non potest in Prædicato poni *abstractum absolute*,

sed cum quādam variatione, ut ὁ λόγος (αὐτοῦ) factus est ea-  
ro, Natura Divina τῷ λόγῳ assumit humanam naturam, &c.

quā mo-  
dum  
pреди-  
candi,

qui vīs  
dicatur,

3. Nexus terminorum in Propositionibus hisce Personalibus, realis ac singularis est. Modus enim essendi est in hoc mysterio planè inusitatus, singulariter mirabilis, mirabiliter singularis, ergo talis etiam est Modus praedicandi: Nempe hīc Disparatum de disparato, duæ diversissimæ naturæ, toto cælo & terrâ distantes, de se invicem in concreto dicuntur. Quare hæ prædicationes, (α) Non sunt mere verbales, sed reales, uti & ipsa unio atq; Naturarum communio. Cūm enim prædicari requirat inesse, rei autem sit inesse, non verborum, ergo prædicatio realis sit, non verbalis, omnino est necessarium. Alias confunderentur signa cum rebus ipsis, & νοηταὶ cum περιηγοῦσι, si res extra mentem exsistentes in earum signa, & prædicationes reales in modos loquendi commutentur; Qui error est etiam planè in Philosophiâ ipsâ ανωνοτος, annotante D. Mylio, Explicat. Aug. Confess. art. 3. pag. 60. Valde itaq; delirant, cum Danæo, Calvinistæ Anhaldini, qui propositiones personales esse reales, concedere recusant, solam hīc ἐνομάστων εὐαλλαγὴν agnoscentes: (β) Non sunt identicæ, cūm, sicut unio nulla inter ea, quæ sunt idem, ita nec prædicatio inde orta, procedat. Unde perperam Calvinistæ tales propositiones resolvunt, hoc modo: Deus est homo, i. e. Deus est ille, qui est homo; Filius Mariæ est Filius Dei, i. e. ille qui est Filius Mariæ, est ille qui est Filius Dei. Nulla quippe hīc identitas essentialis Naturarum, sed personalis in unitate earum οὐσιῶν, occurrit. Hanc ob causam B. Gerhardus distingvit, inter Personalium prædicationum Materiale & Formale. Duæ naturæ manent distinctæ in unione, ergo etiam disparatæ in prædicatione; sed quatenus Naturæ de se invicem in concreto prædicantur, non sunt disparatæ, sed arctissimè per terminum ἐνομίσθαι u. μέσων connexæ. Confersis disp. Ilagog. 9. c. 9. §. 48 (γ) Non

Non sunt *Tropice & figuratae*, sed *propriae*, non quidem proprietate *physicâ* seu attributionis naturalis, sed *grammaticâ* seu significationis, oppositâ tropis rhetoriciis, ut Kœnigius loquitur Theol. Posit. part. 3. §. 129. Namq[ue] ut per nullum tropum explicari possunt, ideoq[ue] nec sunt *synecdochiae*, cum λέγεται nec pars sit, nec *Species Deitatis*, nec *Homo h[ic] n[on] d[icitur] ὄλη*, seu in *genere*, seu in *specie*, sed in *individuo* consideretur, explicante Damasceno L. 3. Orth. Fid. c. II. Hinc B.D. Dannhauerus *Hodos. phæn.* 8. pag. 643. monet h[ac] de re ita: *De Prædicationis genere habe illud paucis; Non est improrium ac Synecdochicum, simile illi, Homo est pulvis, hoc est, Hominis corpus est pulvis. Nam quid tropum cogit? quid mysterii, si, facta conversione propositionis tropica in propriam, h[ec] emergat, Homo unitus est homo?* Vehementer itaq[ue] lapsum fuisse oportet Goclenium, cum asseclis statuentem, propositionem hanc, *Deus est Homo, figuratam & Synecdochiam esse*. Si enim esset *Synecdochica*, & nomen *Deus* pro secundâ personâ Trinitatis, *Homo*, nomen speciei, poneretur pro individuo, utiq[ue] *Deus* esset totum σύνολον, & *Filius Dei* esset pars *integralis*; quod absurdum. Etenim est *Deus*, nec totum καὶ ὄλη, nec σύνολον aut Φυσικόν, sed est totum eminentes & perfectionale, ac per *metaphysicam essentialēm*, quatenus singulæ personæ eandem numero essentialiam communicant, ut quidam loqui amant. Quia igitur *Synecdoche* quoad totum *essentialē* nulla obtinet, neq[ue] *Deus*, aut *totum integrāle*, aut *universale* constitui potest, nec in *Christi persona* pars *propriè* dicta occurrit, patet *Synecdochen*, in *dictionibus propositionibus*, non posse invenire locum.

4. Porro *Prædicationes personales*, (d) Non sunt *Essentiales & univoca*, quando *prædicata de subjectis*, neque ut *Species*, neq[ue] *ut Genus*, neq[ue] *ut Differentia specifica*, enunciantur. In *Synonymicis* certè *predicatum esse de essentiâ subjecti*, apud Peripateticos est decantatissimum: quod vel unicum fundamen-

clamentum Logicum, ad refutationem illius sententiae, has propositiones *Synonymicas* esse affirmantis, sufficit, cum Homo sit Deus, non per essentiam, sed per unionis Personalis gratiam. Adisis Dietericum Cateches. de Pers. Christi q. 14.

(1) Non sunt *Accidentales* & *Paronymicae*, paronymia nempe materiali, quia prædicatum non inest subiecto per accidens; et si paronymiam formalem ac generalem, atq; à modo speciali abstractam, non negat Koenigius, ubi superius, §. 131. Est autem *Paronymia materialis*, cum prædicatum subiecto tribuitur per accidens, extra propriam essentia constitutionem; *Formalis* vero *Paronymia* dicitur, ubi unq; prædicatum in concreto tribuitur subiecto, sive prædicatum illud concretum substantiale, sive accidentale sit. Non erunt proinde *Personales* propositiones, loquendo à xpi. 3. (1) *Accidentales*; cum illae reciprocæ sint, hæc non item: (2) Nec *Paronymicae* materialiter; quia neutra naturarum per accidens alteri unita est, ideoque de alterâ neq; accidentaliter prædicatur; (3) Esse tamen eas *Paronymicas* formaliter, concedit Koenigius, loco laudato, paronymia generali, atq; à modo speciali abstractâ. Sed de negotio isto tale fert judicium Dn. D. Johan Adamus Osiander Syst. Theol. part. 2. Exercit. 60. th. 20. ubi inquit: Quanquam nolimus prædicationes istas, Germen Davidis est Iehova justitia nostra, Jer. 23. v. 5. Filius hominis est filius Dei viventis, Matth. 16. v. 13, 16. Secundushorio est dominus de caelo, 1. Corinth. 15. v. 47. negare esse *paronymicas*, sc. hic terminus defecetur, in statum abstractionis traducatur, & dicatur illud formaliter *paronymicæ* prædicari, quod extra essentialiter prædicatur. Maluerunt tamen nostrates Theologi, attendendo illarum indolem, eas vocare *Inusitatias*, ex singulari & inusitato modo unionis & communionis, inter divinam & humanam naturam in una hypostasi. Hinc quoq; est, quòd pleriq; cum Chemnitio, Gerhardo, Calovio, Prædicationes personales negant esse *paronymicas*. Et Dannhawerus, loco supra laudato, Genus pre-

17  
predicationis, inquit, non est usitatum illud, adque Porphyriam Isagogen accommodabile; quia nec Univocum est, cum nec Deus sit de essentiâ hominis, nec Homo de essentiâ Dei: nec Paronymicum, quia tametsi Deus hominem ex accidenti lapsus assumst, non tamen omne, quod Deo extrinsecus advenit, statim in casu recto ac paronymicè de eo affirmari potest. Accidit Deo Creatio in tempore, num igitur Deus est creatio? accidit oculo glauco color niger, an ideo talis oculus niger est? Relinquitur igitur Inusitatum prædicandi genus, scilicet ut ipsa Unio exemplo caret. §. Tantò igitur minus admittendum est, Prædicationes illas esse (a) Ex argumentis Diversorum, uti Piscator contendit; Quidque Diversa sunt dissentanea negative prædicari apta, Deus vero & Homo de se invicem hinc affirmantur; etiam Diversa solè dissentunt ratione, ut in alio subiecto consentire queant, sed Deus & Homo sunt Disparata, quæ in alio subiecto consentire, & de se invicē affirmari nequeunt: (b) Et si sensus Restrictivi, καὶ ἄλλο seu juxta ἀνόιων, ut Paræus vult, quod Deus sit Homo secundum humanitatem, Homo sit Deus secundum Deitatem: Nam qui est Deus secundum deitatem, est Deus essentialiter, & qui est Homo secundum humanitatem, est essentialiter homo; Hic autem, Deus est homo, & Homo est Deus, personaliter non essentialiter.

5. Manent idecirco Prædicationes Personales prorsus singulares ac inusitate, totoq̄ genere à propositionibus usitatis diversæ, ajente Cundisio ante laudato, ibidem §. II. Dicuntur enim Inusitate, non tantum ratione formæ, ut qvidam sentiunt, sed etiam ratione materie, i. e. ratione connexionis prædictati cum subiecto. Quod explicat D. Christianus Matthias System. Theol. Min. de Christo Mediatore cap. 4. Nempe Inusitatas dici has propositiones, (1) Fundamentaliter, propter Unionem mirabiliter singularem, & singulariter mirabilem, quæ barum prædicationum est fundamentum: juxta illud Jer. 31. v. 32. Creabit Dominus Novum super terram, Fœmina circumdabit virum. Quo titulo Damascenus, lib. 3. de Orth. Fid. Mysterium Incarnationis

nationis Filii Dei appellat, τὸ πάντων καὶ τῶν καυρότερον ἡδὸνή  
 ήσιον. (2) Formaliter, propter Modum prædicandi inusitatum, si  
 quidem duas substantias disparatae, & essentialiter ab invicem di-  
 verse naturae, in casu recto de se mutuo affirmativè prædicantur.  
 Et B. D. Hulsemannus Breviar. Scherzer: cap. 7. th. 18. hâc  
 de re ita judicat: *Ad singularem & inusitatum modum unionis*  
*& communionis, inter Divinam & Humanam naturam in unâ*  
*bypostasi persona Christi, jure meritòg̃ modificantur singulares &*  
*inusitati modi prædicationum, quibus efferuntur illi modi personali-*  
*lis unionis & communionis, quos modos PERSONALES PROPO-*  
*SITIONES appellare solumus. Hic igitur modus prædicandi, quia se-*  
*quitur modum essendi, & aequaliter vel similem in rerum naturâ*  
*non habet, non debet ad regulas, ex inductione rerum in naturâ*  
*deprehensorum, à Philosophis statutas, restringi, sed dirigi ad mo-*  
*dos dicendi in Sacris Literis prescriptos. Ex quibus B. D. Scher-*  
*zerus infert ibidem: Ergo inusitate sunt Propositiones perso-*  
*navales, (1) ob disparata extrema, sive duas completas intelligentes*  
*naturas, (2) Ob inusitatum extremorum nexum, propter unionem per-*  
*sonalem vel communicationem ἀποστολῶν. & (3) Ob inusitatum*  
*prædicandi modum. Tractantur quidem in Logicis, respectu*  
*generalis & formalis modi Logici, at non ut regulares. Ut enim*  
*se habent in Theologiâ Deus & Homo, qui illic semper dis-*  
*parata sunt, ita subjiciuntur notionibus in Logicâ, adeoq̃*  
*nec juxta regulas usitatas Logisticorum de se invicem prædicantur.* Succedit

### CAP. III. DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

#### §. I.

Communis  
naturae Idioma-  
rum  
quod sit,

**A**lter effectus unionis Personalis est Communicatio realis idio-  
 matum, tum inter Naturas in Christo & personam, tum in-  
 ter Naturas invicem. Si enim Naturis ipsis communicatio mu-  
 tua intercedit, fieri nullâ ratione potest, quin Idiomatus  
 eadem inter se communicent. Quia enim Natura non sunt

ā nouāντοι, & talis earum unio facta est, ut & sc̄ip̄sis indicem  
communicent, & sua etiam omnia reverā communia habeant,  
Idiomata excludi à communicatione nequeunt, ceu D. My-  
lius h̄ic colligit. Nam si τὸς ἀριστὸς est communicata, qvæ  
infinita est & propria τὸς λόγος, sequitur quòd etiam Natura  
& Idiomata divina carni sint communicata, quia hæc cum τὸς  
άριστος divinâ identificantur. Porrò si quis dicat, Idiomata  
divina non posse communicari, quia sunt infinita & propria divi-  
nitatis, sequetur hypostasin divinam tantò minus potuisse  
communicari, quæ etiam est infinita, & λόγος propria, cùm  
alioquin Idiomata sint omnibus tribus personis communia: Er-  
go negatio communicationis Idiomatum est ipsissima Nestori-  
ana hæresis. Quicquid enim contra Communicationem I-  
diomatum objicitur, illud etiam valeret contra communicationem τὸς ἀριστὸς divine seu unionem Personalem. Pla-  
nioris itaq; explicationis gratiâ, quatvor Membris hæc  
de Communicatione Idiomatum doctrina breviter exponenda  
venit, spectans videlicet (α) Communicationem idiomatum in  
genere, (β) Communicationis genus Primum, idiomatum, (γ) Se-  
cundum Communicationis genus, μετάδοσιν, (δ) Communicationis  
genus Tertium, κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων.

### Membrum I. De Communicatione Idiomatum in genere.

2. Communicatio Idiomatum sive proprietatum, sic à Scho- Quid si  
lasticis primum dicta est, vel ab objecto, nempe Proprietati- enificet  
bus naturarum, vel à Formâ, scilicet participatione divinæ & hic Com-  
humanæ naturæ proprietatum, in quâ consistit. Commu- munica-  
nicatio h̄ic in genere intelligitur, non verbalis tantum, vel tio Idios-  
per tropum, vel καὶ ἐξιαν seu honorem, vel per fictionem; sed matum,  
Realis, eaq; non φυσικὴ, vel inter substantiam & substantiam,  
ut in Ferro ignito, vel inter substantiam & accidens, sicut in  
aquâ calidâ, vel inter Accidens & accidens, velut in Philoso-  
pho Theologo: sed ὑπερφυσικὴ, utpote Idiomatum Divina &  
Humanæ naturæ in Christo συνδυაσμη, ex unione Personalis

proveniens, distinctis manentibus, & naturis, & proprietatibus, quæ communicantur, sine commixtione, transmutatione, aut exequatione. Excluduntur idcirco hic communionis ὑπερφυσικῆς modi reliqui, nempe & ἐστιώδης seu essentialis, inter personas SS. Trinitatis, & πνευματική sive spiritualis, inter Deum & fideles, & μυστικὴ ac sacramentalis, inter Panem & corpus Christi, Vinum & Sangvinem Christi, & συμβολική, inter Spiritum S. & columbæ speciem. Excluduntur pariter modi omnes communicationis Φυσικῆς, utpote per μεταβοσιν seu proprietatum unius subjecti effusione in alterum, per μίξιν sive mixtionem & confusione, etiam καὶ μέθεξιν sive participationem essentiæ, &c. Generali ergo descriptione, *Communicatio Idiomatum est Quid sit, participatio propriorum divine & humanae Naturæ in Christo Deinde, ab alterâ vel utrâq; naturâ simul denominato, ex hypostaticâ unione profluens.*

*Idiomata  
ea quid?*

3. Idiomata hîc dicuntur, utriusq; nature attributa & proprietates, quibus, tanquam notis & characteribus, in persone unitate due natura à se invicem distinguuntur. Sumitur autem vox ista latius, prout, præter Idiomata strictè dicta, ambitu suo etiam comprehendit actiones, passiones, cœguinam & ἀπολέσματα, siquidem Idiomata per ejusmodi cœguinas sese exserunt. De quibus notandum, (1) aliam esse rationem Idiomatum divinorum, aliam humanorum. Divina natura idiomata sunt τὰ λόγια ipsa essentia, nec ab eâ realiter distinguuntur. Humane naturae idiomata sunt παρεπίmena τῆς Φύσεi, consecutiva essentiæ, non constitutiva. (2) Affectiones humanas Christi, quasdam toti composite hominis, quasdam convenire singulis partibus; item quasdam esse essentiales, quasdam vero accidentales. (3) Divina Idiomata, alia esse ἐργατικά, alia ἀνεργά. Illa externa, quæ in operationem veniunt; Hec interna sunt, quæ non operantur, ut eternitas, infinitudo. Illa immediate, hæc mediately, alio scilicet mediante

diantे Idiomate communicantur. Unde consequitur, quod Humanæ Christi Naturæ infinita scientia & sapientia, infinita virtus & potentia fuerit communicata. Quando igitur Communicatio Idiomatum facta est propter efficientiam officiis, ideo quæ Proprietates in ipso finu Deitatis manent, seq̄ non proferunt foras, illæ etiam non ita communicatae sunt carni Christi, ut exerceantur per illam, & immediate eandem denominent. Distingvendum proinde est, inter communicationem ipsam, & communicationis modum. Communicatio idiomatum est reciproca, Modus communicationis non item; idq̄ non ob unionis, sed ob unitorum diversitatem. Valet enim hic per vulgatus canon: *Affumentis est dare, non accipere.* §. Talium vero idiomatum communicatio probatur, (α) Ex ipsa unione Personali, ejusq̄ conditione; idiomata enim cum Naturis ipsis, veniunt sub unionem, ergo etiam sub communicationem, & quia Naturarum unio est arctissima, impossibile itaq̄ erit, nullam earum esse in proprietatibus communicationem: (β) Ex absurdo consequente; si namq̄ propriorum communicatio prorsus negatur, duæ erunt in Christo personæ, quia ~~consensu~~ communicationem proprietatum communicatio necessariò consequitur, hæc, negatâ evertitur illa, unioq; personalis solvit: (γ) Ex Scriptura S. testimonio: Quippe distincte dantur classes dictorum Scripturæ, Idiomatum communicationem comprobantium. A veritatis proinde linea abeunt, (1) Veteres, Samosateniani & Nestoriani, qui Idiomatum communicationem penitus negarunt; item Eutychiani, Idiomatum confusionem introducentes essentialē; (2) Iesuite, veterum hæreticorum asseclæ, realem idiomatum communicationem penitus explodentes; (3) Calviniani, vel Realem idiomatum communicationem appellantes figuratum Scholasticum, & commentum Eutychianum, cum Bezâ & zanchio, vel Idiomatum Communicationem statuentes tantum Verbalem esse prædicationem, cum Alstedio & aliis.

Forum  
commu-  
nicatio  
proba-  
tur.

## 4. De Communicationis Idiomatum generibus, eorumq; nu-

Quo sit mero & distinctione, D. Mylius prius allegatis refert sequentia: *Hec doctrina (de communicatione idiomatum) non omnibus temporibus perspecta fuit superiori seculo. Scholastici unum tantum & commune domicilium habuerunt omnium locutionum novicias, primum scilicet. Stancari controversia excitatus Philip- pus Melanchthon ad constituendum deserimen inter locutiones, que de Christo predicatae, secundum alteram duntaxat naturam intel- ligende essent, & eas quae secundum utramq; explicanda essent, que ad definitionem primi generis non congruerent. Brentius sub finem vite Philippi, contra Sacramentarios pugnans, usit in primis do-ctrinam Lutheri de Majestate humane nature in Christo. Cum enim huic à Sacramentariis non nisi creata dona relinqu cerneret; vi- deret autem ei in Sacris divina quedam tribui, item data esse & accepta divina, que Dipinitati non competenter: pro hujus nature communicata majestate pugnare cœpit. Illa etate Hesbusius dispu-tationem de Communicatione Idiomatum & Majestatis, distinctius demum tradere cœpit. Chemnitius deniq; animadvertis, novicias istam omnem, ad communicationis Idiomatum receptam definitio-nem non congruere, & Philippum rectè à Communicatione Idiomatu-m distinxisse propositiones, quibus officii novicia effertur, & Hes-busium antiquitatis vestigia legere, dum communicationem Majes-tatis à priore utrāq; discernit: Tria constitvere genera cœpit, que disticta ad commune nomen noviciarum idemquātū revocavit. Unde adversarii, in primis Bezi & Danaus, sua limare & expolire cepe-runt. Nè quem però generalitas Communicationis Idiomatum am-plius offendere, Chemnitius admonitionibus Doctorum cedens, di-stinxit illa tria genera sic, ut Primum appellārit communicationem Idiomatum, Secundum communicationem operationum, Tertium communicationem Majestatis. Non enim unum & simplex est communicationis hujus genus, necq; ad unam formam referri possunt omnia, quae de unitis Naturis & de Personā Christi in Scripturā prædicantur & enunciantur, sed plura & distin-cta, quorum circiter 24. Damascenus collegit: quae tamen commode ad tria disticta genera referri possunt. In primo,*

**Propria Naturarum** prædicantur de Christo, **divina** quidem 23  
propter deitatem, **humana** propter humanitatem. *In Se-*  
*cundo, Divina Majestas, gloria & potentia, prædicantur de-*  
*Christo secundum humanam naturam, & propter unio-*  
*nem hypostaticam. In Tertio, Nomina & opera officii prædi-*  
*cantur de Christo, secundum utramq; naturam.*

5. **Fundamentum** hujusmodi partitionis oritur, (1) **Era-**  
**tione unionis:** Quippe, post factam duarum naturarum in  
Christo unionem, nec *Natura singula* seorsim & *sola* subsistunt  
ac agunt, secundum propria sua separatim, sed *Personæ*  
conjunctionem in duabus illis naturis subsistit & agit, juxta  
cujusq; proprietatem, unde est *Idiomatum Communicationis*  
*genus primum*; nec *Natura Divine* per unionem aliquid ac-  
cessit, ut quæ est *αὐτοκέντησις, αὐτοπόλεσμα* & ac perfectissima,  
*Humana* verò *natura*, præter & ultra essentiales suas pro-  
prietates, *divinis ἐξοχαῖς ex unione hypostaticā* sortita est,  
quâ ratione oritur *communicationis Idiomatum genus Secun-*  
*dum*; nec in *operibus officii* alterutra *natura* quiescit, agitve aut  
patitur sine alterâ, quin *utraq; natura* agit cum *communica-*  
*tionē alterius*, hinc itaq; *communicationis Idiomatum exsistit genus*  
*Tertium.* (2) *Ex Scriptura dictorum diversitate:* Tres namq; oc-  
currunt *classei*, ad quas ejusmodi scripturæ revocari pos-  
sunt, quæ *Communicationem Idiomatum supponunt*, ergo  
totidem etiam *communicationis Idiomatum genera* sive gra-  
dus statui oportet. Et hæc genera, ordine tum *nature*, tum  
*doctrine*, ita locari debent, ut *primas* teneat *idiomata*, *meti-*  
*minorū secundas, nouavias δόποιδες μάτω τριτιας.* Ubi notan-  
dum, et si Formula Concordiæ tertio ponit loco *μετάδοσιν*,  
quâ λόγῳ propriam gloriam & majestatem assumtæ carni  
communicat, quia hoc genus, ut maximè controversum,  
copiosius erat tractandum; præcipue tamen *nature*  
*ordine*, convenientius secundo loco ponitur, quando *Natura*  
*humana* in *operibus officii*, non solum agit secundum proprie-  
*tates*

24 tates *essentialis*, verūm quoque juxta gloriam & majestatem di-  
vinam, per hypostaticam unionem sibi communicatam.  
Ex quibus patet, ( $\alpha$ ) *Communicationis genus Quartum*, quod  
quidam statuunt, ad *Primum Specare*, cœu speciem; ( $\beta$ )  
Errare Calvinianos, qui distincta illa genera *communicatio-*  
*nis Idiomatum* pro *Scholasticorum* figmento & delirio habent,  
quasi destitueretur scripturæ & purioris antiquitatis subsi-  
dio. Etenim rem ipsam cum modo, puerili errore, confun-  
dunt. Nunc excipit

## Membrum II. De Primo genere *Communicationis Idiomatum.*

6. Primum hoc *genus Communicationis Idiomatum*, quo u-  
triusque nature propria prædicantur de Christi personâ, appell-  
atur à Theodoreto ḥvāλaȳ n̄q̄ κον̄ων̄ia ὀροφάτω, non nudè  
verbalis, sed realis, à Cyrillo ὀκτώσις, idiomata, idiomatis, à  
Nazianzeno ὅπλευξις ὀροφάτω, à Damasceño ἀνίδοσις n̄q̄  
ἀλογίσις, non exclusiva persone, sed distinctiva & indicativa  
natura, secundum quam proprium formaliter subjecto  
competit. Vocatur etiam τρόπος ἀνίδοσις & ονταριοπο-  
& Prædi-  
cationes. ρημα. Ubi notanda: (1) Fundamentum & causa hujus-  
modi predicationum est, tum persone identitas, per quam to-  
ta persona de attributo alterutrius natura hypostaticè partici-  
pat, tum Naturarum & utriusque idiomatum vera & realis dif-  
ferentia, in ipsa etiam unione permanens, quâ alterutrius  
natura proprium toti persone propter unionem hypostaticam tri-  
butum, ad eam determinatur naturam, cuius proprium est:  
(2) Partes harum predicationum, utpote *Subjectum*, *Predi-  
catum*, & determinationes seu *particulae limitativae predicationis*.  
*Subjectum* est concretum persone vel nature, tota nempe per-  
sona ἕνοργη & σύρθετη, denominata modò ab utrâque na-  
turâ, modò ab alterutrâ, sive divinâ, sive humanâ. Semper  
tamen hîc intelligenda persona *θεοῦ θρων̄*, salvo manente  
forma-

formali discrimine inter propositiones, ubi subjectum est concretū personae composita, & ubi est Concretum duntaxat Naturā. Proinde in hoc genere latius est abstinere à prædicationibus abstractivis, Deitas est passa, divisitas est mortua, &c. quām eas usurpare. De quibus tamen Osiander, loco antē indigitato, th. II. judicat ita: *Quanquam permittamus facile quibusdam Theologis abstinere à pbrasibus illis, Divinitas τὸ λόγος in assumtā sibiq[ue] realiter appropriatā carne est passa, clavis affixa, mortua, &c. non tamen illos, qui iisdem vel usi sunt, vel utuntur adhuc, destitui fundamento arbitramur, cùm ipsa scriptura abstractivas loquendi formulæ usurpet, & quidem Paulus clare dicat, in ipso habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter, Colos. 2. v. 9. Johannes item, Vitam manifestatam esse, I. Joh. I. v. I. Cyrillus, Vigilius, Fulgentius, B. Hunnius & nostri Theologi ita locuti fuerint, ut Calvinianis, qui concretivis locutionibus abutuntur cō melius larva detrabatur. Unde justā perstringi vult censurā, Nestorium, Pontificios item ac Calvinianos, qui abstractivas propositiones pertinaciter refugiunt, & prorsus negant, nē protrahantur ē latibilis, ad qvæ se recipiunt. Prædicatum est idiomata alterutrius naturæ, divine vel humana. Divine autem naturæ idiomata, non tantum sunt divina attributa essentialia, sed etiam personalia: Humane verò naturæ idiomata huc pertinent, tum quæ ipsi absolute ex suâ naturâ competunt, tum quæ respectivè attribuuntur, vel quæ statum exinanitionis, vel quæ statum exaltationis; probè tamen observato discrimine, inter exaltationis gradus, qvi prædicationem faciunt Primi generis, & αὐχνα in exaltatione collata, qvò prædicata Generis secundi referenda sunt. Ad prædicatum quoq[ue] pertinet subjectum qvo seu πρῶτον δεκlinor idiomatum, qvod est causa, qvare prædicatum tribuatur subjecto: v.gr. *Christus est passus in carne*, ubi *Caro* est causa ob qvam passio de Filio Dei prædicatur, & simul subjectum passionis πρῶτον δεκlinor, D. Christianus Matthias, ubi prius, cap. 6.*

Limitati-  
væ parti-  
culæ.

7. Determinationes denique seu Particula Limitativa prædi-  
dicati, subjectum recipiens Idiomatum Quo indicant, & à sub-  
jecto Quod sive Communicationis distingunt; Cœu sunt,  
quæ, quatenus, in quantum, ut, in, secundum, propter, respectu, ratio-  
ne, divinitus, humanitus, & similes: quarum etiam, aliae sunt Bi-  
blica, ut nam, &c., &c. Rom. 2.v.3. c. 9. v. 5. 1. Pet. 3.v. 18. c. 4.v.1.  
Eph. 2.v.15. Colos. 1. v. 22. quæ interdum expressè ponuntur,  
interdum subintelliguntur; aliae Ecclesiastice, à DD. Ecclesiæ ad-  
hibitæ in mysterii hujus explicatione, ut Quæ, quatenus, in  
quantum, propter, &c. Hinc tales particula non ad subjectum, sed  
ad prædicatum referri debent, ad exprimendum qvicqvid na-  
turæ per se convenit; suntq; non *xwēisnāi* i.e. separative sub-  
jecti, sed (α) *Ostensiva cause*, ob qvam prædicatum subjecto  
inest, (β) *Determinativa naturæ*, cui Idioma ex se & forma-  
liter competit, (γ) *Distinctiva à naturâ alterâ*, quæ non ex se  
& per naturam, sed propter unionem de prædicato parti-  
cipat. Qvare differunt propositiones istæ: *sola Humana na-  
tura filii Dei est passa*, & *Filius Dei secundum solam Humanitatem*,  
vel *secundum Humanitatem tantum, est passus*. Prior enim heterodoxa  
est, negatq; personalem passionis ad concretum  
divinæ naturæ appropriationem, particulas exclusivas ad  
subjectum referens: Posterior autem est orthodoxa, in qvâ  
voces, tantum vel *secundum solam humanitatem*, non sunt sepa-  
rativæ subjecti, sed determinativæ ac distinctivæ prædicati.

Modus  
prædi-  
candi

8. Porro (3) *Modus prædicandi* hîc verus realissimusq; ac  
proprius est, proprietate nempe significationis, ut excludatur *ελ-  
λοιωσις*; in specie tamen ita comparatus, ut *tota persona* ex dua-  
bus naturis constans, de *attributo alterutrius naturæ hyposta-*  
*tice* participet, vel cum vindicatione proprii ad eam natu-  
ram, cuius proprium est, vel qvandoq; cum appropriatio-  
ne prædicati ad concretum naturæ ejus, cuius proprium  
non est, Act. 20. v. 28. 1. Joh. 1. v. 1. Act. 3. v. 15. 1. Corinth. 2. v. 8.  
Multis itaq; modis, circa hoc momentum, absurdì sunt

Calvi-

Calviniani, (1) qvando *predicationes* *bujus generis* statuunt 27  
tantum verbales, cum Danæo & Neostadienibus ; Contra I. Vindicas  
Corinth. 4.v.20.2.Pet.1.v.16,seqq, (2) *Per ejusmodi* ἀλλοιωσιν ex-  
ponentes *hue spectantes propositiones*, quâ per nomen personæ  
subjecti loco positum, intelligatur tantum illa natura, cuius  
proprium in prædicato exprimitur : Qvâ sententiâ, dum  
nomen Personæ exponitur per abstractum Naturæ, enervatur Per-  
sonalis unio, sequitur Nestoriana divulſio, negatur vera & realis  
κοινωνία, adeoꝝ totum redēptionis & salutis nostræ mysterium e-  
vacuatur, judice B. Gerhardo Disp.IIag.8.cap.II.§.57. Et no-  
tandum hic ulterius, (a) Subjectum in hisce propositionibus,  
*Deus est passus, Filius Dei est mortuus*, notare non personam sim-  
plicem, sed οὐδεν : (β) Passionem tribui Dei Filio, non μη-  
γῆς οὐδὲ αἰτούμενως, quasi Divina natura passa sit, sed τα-  
σσεται, quâ carnem in θεόσεων λόγῳ unione personali eve-  
ctam, & idiomatiū, dum appropriavit sibi carnis passio-  
nes per communicationem. Videsis Gerhardum, ubi mo-  
dò, §. 61.

9. Primum ergo *Communicationis* genus describit Kœni- Defini-  
gius, quando propria modò *Divine*, modò *Humanæ* naturæ, per-  
sonæ λόγῳ duabus naturis constanti, & modò ab utrāq, modò ab  
alterutrā denominata, per & propter unionem personalem & perso-  
nae trinitatis, verè realiter, & sine tropo tribuuntur, ita tamen,  
ut propria suis simul vendicentur naturis. Etiam Modi ejus seu  
*species*, docendi causâ, constituuntur tres : (1) Ἀντιοσις Specia-  
liter dicta, quâ tam divina, quam humana, de Christo ab utrā-  
que naturâ denominato, seu de concreto personæ propriè dicuntur,  
Rom. 9.v.5. 2. Corinth. 13.v.4. 1. Pet. 3.v.18. 1. Pet. 4.v.1. &c.  
(2) κοινωνία τῷ Σώματι, cùm de personâ λόγῳ ενοικεῖ ab hu-  
manâ naturâ denominatâ, divina prædicata propriè enun-  
ciantur, ob unionem personalem, Joh. 8.v.58. &c. (3) idio-  
matis, cùm humana de concreto naturæ Divinæ enunci-  
antur, 1. Joh. 1.v.1. Act. 20.v.28. 1. Corinth. 2.v.8. Act. 3.v.15.

28 Psal. 45. v. 8. &c. §. Demum *Character* seu γνώσημα, quo  
hoc genus communicationis à reliquis dignoscitur, est (a) *Condi-*  
*tio subjecti*, quod hīc Persona ἐνομένη, secundum utramque,  
vel alterutram, sive Divinam, sive Humanam natu-  
ram spectata: (b) *Condicio Predicati*, quod est attributum  
modò Divinæ, modò Humanæ Naturæ: (γ) *Modus attribu-*  
*tionis*, ubi proprium alterutrius naturæ de totâ personâ  
ἐνομένῳ, per & propter unionem personalem, prædicatur,  
sed cum vindicatione ad eam naturam, cui formaliter com-  
petit, vel cum appropriatione ad eam, cui competit non  
formaliter & ἐπωδῶς, sed καθ' ἔνωσιν ταὐτανήν. Subse-  
quuntur.

### Membrum III. De secundo Communicationis Idiomatum genere.

Secundi  
generis  
Nomi-  
nia,

10. Secundum Communicationis Idiomatum genus, quo divina  
natura Filii Dei propriam suam gloriam & excellentiam hu-  
mana nature communicat, manens ipsa passionum carnis ex-  
pers, vocatur in scripturis, ὑπερύψωσις, ὑψωσις, δόξη, δόξαις,  
ἴσιος. εἰς δόξαν, σεφάνωσις, μεταλεσοῦν ἐν ὑψηλοῖς, &c. à Pa-  
tribus Græcis, ut Iustino Θεωρίς, Basilio μετοχὴ θείας ἐξοσίας,  
Athanasio θελπίωσις, θεοπίκησις, θεολόγωσις, πλήρωσις. Epi-  
phanio δυνάμωσις. Nysseno μεταπίστωσις, εἰς τὸ ἕδος τῆς θεότητος  
ὑψῷ Δἰοὶ τῆς ἵνασεως ἀναγωγὴ, ab aliis περιστήκη μετάληπτη, με-  
τάστωσις, μεταπίστωσις, μετάληψις θείας ἀξίας, &c. vulgo dici-  
etur *communicatio Majestatis*, *Genus majestaticum*, etiam *unctio*,  
Psal. 45. v. 8. Act. 10. v. 38. Dan. 9. v. 24. Esa. 11. v. 2. *Causa effi-*  
*ciens autem communicationis hujusmodi est tote SS. Triini-*  
*tas, Pater & Spiritus S. dando hæc αὐχνύαται, λόγῳ verò com-*  
*municando, cùm communicatio unionem præsupponat*  
*personalem, quā solus λόγος humanæ naturæ unitus est.*  
conditio  
enes, *Hinc observanda; (1) Fundamentum hujus communicati-*  
*onis, & prædictionum inde nascentium, est Humanæ na-*  
*turæ, in ταὐτανήν τὸ λόγον assumtæ, ad possessionem totius ple-*  
*nitudinis Deitatis evectio, & communicatio tum ταὐτανήν*  
*tum*

turn naturæ divinæ τε λόγος. (2) *Termini communicantes*: ut *subjectum communicationis* quod, est ipsa *persona λόγος* οὐρανία, cuius suppositum; *subjectum quo*, est *Natura*, ad quam facta est *communicatio*, non *Divina*, cui nihil addi potest, sed *Humana* in ἀρχή των σπονδών assumta, Joh. 6. v. 53, seqq. 1. Joh. 1. v. 7. Matth. 26. v. 28. Act. 20. v. 28. Joh. 5. v. 27. Phil. 2. v. 9. *Materia* verò *communicationis* sunt dona *verè divina* ac infinita, quæ nullo modo vel gradu *creaturæ* ulli conveniunt, non habitualia & finita, Colos. 2. v. 9. Joh. 3. v. 34. Psal. 45. v. 8. Quod patet, (a) *Ex των σπονδών infinite communicatione*, (β) *Ex Spiritu S. unctione*, (γ) *Ex totius plenitudinis Deitatis inhabitatione*, & (δ) *Ex elevatione ad dextram Dei*. Videsis Gerhardum, Disp. Isag. 9. §. 67. *Divina autem hæcce dona* & αὐχένα Humanitati Christi communicata, sunt (a) *Divina nomina*, Luc. 1. v. 35. Act. 2. v. 36. Phil. 2. v. 9. (b) *Divina attributa*, velut *omnipotentia*, Matth. 28. v. 18. Luc. 22. v. 69. Joh. 17. v. 2. Apoc. 5. v. 12. Psal. 8. v. 7. 1. Corinth. 15. v. 27. Hebr. 2. v. 8. Matth. 11. v. 27. Joh. 3. v. 35. &c. *Omniscientia*, Luc. 2. v. 40. Colos. 1. v. 19. c. 2. v. 3. Joh. 2. v. 25. c. 21. v. 17. &c. *Vis γνωμητικὴ*, Joh. 5. v. 21, 26. c. 6. v. 53, seqq. 1. Corinth. 15. v. 21, 45. *Potestas faciendi judicium*, Joh. 5. v. 22. Act. 17. v. 31. *Omnipræsentia*, Matth. 18. v. 20. c. 28. v. 20. Joh. 14. v. 23. Heb. 7. v. 26. Eph. 4. v. 20. &c. (c) *Divina opera*, ut *Miracula*, Act. 10. v. 38. *Redemptio humani generis*, Psal. 49. v. 8. Isa. 59. v. 16. &c. *Collectio & defensio Ecclesie*, Matth. 16. v. 18. &c. *Remissio peccatorum*, Matth. 9. v. 6. Marc. 2. v. 7. Luc. 5. v. 24. &c. & plura consimilia. (d) *Divinus cultus*, Hebr. 1. v. 6. Phil. 2. v. 9, seqq. &c. *Momentum denique communicationis donorum istorum*, quæ possessionem, idem est, quod unionis personalis.

II. Verum (3) *Modus communicationis* hujus in eo consistit, quod non facta sit *merè verbaliter & titulariter*, sed *verè, propriè ac realiter*. Unde nec facta est, vel (a) κατ' αἰχλανήν, quæ duntaxat, aut *merè γενής*, seu quæ *habitudinē externam*, vel  
(β)

Modus  
Commu-  
nicatio-  
nis,

30 (3) οὐσιών, secundum extrinsecam existentiam; vel (2)  
Possessio Συνεδρικῶν, positâ parte integrante pro toto integrali, aut par-  
te essentiali pro toto essentiali; vel (4) Mēdientiῶν, sicut genera  
& differentiae communicantur speciebus, species individuis; vel  
(5) Per modum emanativum operationis ad intra, ut Trinitatis  
persona prima communicat essentiam secundæ; vel (6) Per mo-  
dum amissibilis inhabitationis gratiose, ceu in credentibus; vel (7)  
Συγχυτικῶν seu commixtivè, inter partes miscibiles & totum mix-  
ti; vel (8) conversivè sive transmutativè, aut ex æquative, aut  
ἐκχυτικῶν seu effusivè, aut μεταβατικῶν & transfusivè, quasi  
divine proprietates transfundantur in Naturam humanam, cui  
perse, formaliter & subjectivè, à Divinâ essentiâ separatae,  
competant; vel (9) à illâ omniutiw & multiplicative, quomodo  
Deus bonitatem creaturis, parentes naturam liberis communi-  
cant. Quos modos omnes Ecclesiæ nostræ unanimiter rejiciunt. Fit ergo communicatio hæc κατὰ οὐρδίασιν, eamq; nec  
essentiali, velut inter Animam & Corpus, nec accidenta-  
li, ceu inter ignem & ferrum; sed personalem, quâ Divine  
Nature proprietates Nature humanae, essentialiter ab illâ  
distinctæ, indissolubiliter tamen eidem unitæ, propter  
ineffabilem θειάρησιν communicantur, sine ullâ sui mul-  
tiplicatione & transfusione, ad communem possessionem, usur-  
pationem, ac denominationem; hancq; vel immediatam, quâ at-  
tributa εργάτικâ, vel mediatam, quâ ανεργήτικâ attinet. Cæte-  
rū, ratione tum possessionis, tum usurpationis, tum denomina-  
tionis, Natura divina λόγος est & manet subjectum propri-  
um, originale & formale, cui Idiomata Divina πρέπτωσι, κατ'  
αὐτὸν & αὐτούς competunt; Humana verò natura αὐχήματα  
illa possidet, ab iisq; denominatur deuterius, εμπέτως & nat'  
αλλο, per & propter unionem personalem.

Quâ u-  
surpatio-  
ne. 12. Atqui de Divinorum αὐχήματον, Nature Christi hu-  
manæ communicatorum, usurpatione, graves controversiæ  
exortæ sunt, quando illa cœperit, & quanta qualisq; fuerit in-  
statu

*statu Christi exinanitionis?* (1) Photiniani ajunt, cæpisse eam in Ascensione Christi in celos, antea eum hæc ἀυχηνατα necha-buisse, nec usurpare; ut Smalcius contra Franzium garrit. Verum sicut *Christus*, quæ humanitatem, ejusmodi ἀυχηνατα possederat ab ipso conceptionis momento, Matth. ii. v. 27. Joh. 3. v. 13. c. 18. v. 37. &c. ita eorundem usurpationem distinguivit B. Stegmannus, in *Totalem & Partialem*. Illam statui Exaltationis reservatam statuit, hanc verò statui etiam Exinanitionis potuisse competere, ex Scripturis modo citatis, aliisq; argumentis probat. At (2) inter Giessenenses & Tübingenses disputari cœpit, *An Christus, in statu Exinanitionis, verè & realiter, voluntariè tamen, plenarium & incessans exercitium αυχηνάτων divinorum, usq; ad statum Exaltationis sibi abdicaverit?* quod defendebant Giessenenses cum Saxonibus: Vel, *an potius universale illud dominium, plenariè quantum latenter exercitum, Christus in statu Exinanitionis occultaverit?* ut Tübingenses cum Sveviciis affirmabant. Quod dissidium ita componere conatur Dn. D. Osiander System. Theol. part. 2. Exerc. 71. th. 1. ut concedat, (a) *Veram & realem Evacuationem reflexivam usus illius divina Majestatis, qui finem incarnationis, opus videlicet redēctionis, potuisset impedire:* (b) *Donorum etiam habitualium abdicationem statuat, & Formæ servilis humanarumq; innoxiarum imbecillitatum assumptionem: Asserat tamen (γ) sub formâ servili occultationem seu obfēctionem & obvelationem, tum Majestatis in genere, tum in specie usus universalis extranei, qui ad Ecclesiam reliquasq; creaturas, in Regimine totius universi, directe, unaq; cum λόγῳ indivisiè, se exseruit, neq; opus redēctionis, utpote propriam carnem tantum reflexè respiciens, attinuit.* Phil. 2. v. 7, 8. Luc. 2. v. 40. Joh. 5. v. 17, 19.

13. Deinde notanda (4) In *Predicationibus hujus generis, Prædicas Subjectum, Prædicatum, Particula regio etiam, & Modus prædicationes sandi.* *Subjectum* est persona λόγος evocatus, modo nomine,

concreto persone expressa, Matth. 28. v. 18. modò termino *concretivo humanae nature*, Marc. 2. v. 10. Joh. 5. v. 27. modo termino *abstractivo*, Joh. 6. v. 51. ubi non *abstractum naturae*, sed *persone intelligendum*, quod *concreto naturae æquipoller*. *Prædicata* sunt *auxiliaria Divinae naturae*, de quibus suprà. *Particulae ægadioësinae* hîc non ostendunt, cui *Naturæ formaliter competant illæ proprietates*, quæ in *prædicato* exprimuntur, velut in *primo genere*; sed indigitant *Naturam*, secundum quam *auxiliaria divina Christo in tempore data sunt*, & *prædicatum propositionis ad Humanam naturam*, in ipsâ unione consideratam, referunt. *Modus* denique *predicandi*, non est *Synonymicus*, sed *Paronymicus*, non *abstractivus*, sed *concretivus*. Etiam illud observandum venit, quædam *auxiliaria Divina de Christo secundum Humanam naturam prædicari immediate*, ut attributa *omnipotencie*, *omniſcientia*, *omnipotentia*, &c. quædam mediante attributo aliquo *omnipotencie*, ut *auxiliaria immensum, infinitum, æternum, suminè simplicem, spiritualem esse*, &c. §. Male itaque Pontificii & Calviniani hoc *Communicationis & Predicationis genus negant*, &c (a) Non de *Naturâ humana*, sed de *persónâ* accipiunt dictum Colos. 2. v. 9. quasi in Christi personâ tantum sit perfecta Deitatis essentia: Quod sanè non esset *inhabitare auxiliarias & corporaliter*; (b) Non de *communicatione Idiomatum*, sed *unione personali* tantum intelligunt, cum Wendelino; (c) Non de *communicatione Divinorum auxiliatorum Humanæ Christi Natura factâ*, sed de *voluntate & Benevolentia Dei* nobis in Christo repositâ, & per ipsum nobis patefactâ, explicant, cum Alstedio.

14. Secundum itaque *Genus Communicationis Idiomatum* definitur à Kœnigio, quo λόγος cum suâ *Divinâ naturâ*, propriâ suam gloriæ & excellentiam, *Humanitati hypostaticè sibi unite*, ob hanc ipsam unionem hypostaticam, verè & realiter, absque ullâ *naturarum & proprietatum commixtione aut confusione*, ad communem possessorum,

33

nem, usurpationem & denominationem, communicat. Quod explicat B. Hutterus Compend. Loc. 3. de Christo q. 28. nempe hoc genus eas considerare Scripturarum prædications, quæ preclarè testantur, quod humana natura in Christo, ideo quod cum divina natura personaliter unita est, preter & supra naturales, essentiales, atq; in ipsa permanentes humanas proprietates, etiam singulares, excellentissimas, maximas, supernaturales, impervestigabiles, ineffabiles atq; cœlestes prerogativas majestatis & glorie, virtutis & potentie divina super omne, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, acceperit. Character idcirco seu γνῶστις, quo distinguitur dignosciturq; hoc secundum genus à primo, exinde patet: (1) Quod subjecti loco, vox abstractiva in secundo genere, semper verò terminus concretivus deprehenditur in primo; (2) In secundo persona λόγος οὐρανοῦ secundum Humanam tantum naturam spectatur, at in primo Christus intelligitur secundum alterutram, modò Divinam, modò Humanam naturam; (3) Prædicata in secundo genere semper sunt Idiomata divina, sed in primo occurruunt alternativè, modò Divinæ, modò Humane naturæ attributa; (4) Divinum Idioma in genere secundo consideratur, ut carni communicative, propter unionem personalem, competens, sed in primo, ut formaliter, & per se Deitatis est; (5) In primo est reciprocatio, ut propria divina naturæ per appropriationem personalem prædicentur de Christo homine, & vicissim propria humanitatis per eandem idiomina de Dœ λόγῳ enuncientur; Sed in secundo genere reciprocatio non invenit locum, quando Natura divina nequit dici corruptibilis & mortalís, sicut caro est vivifica, tum ιωσαετικῶς, tum ιλασικῶς καὶ παθητικῶς, tum ἐνεργητικῶς, Joh. 6. v. 50, seqq. Reliquum est

Tertiū  
generis  
Appella-  
tiones.

15. *Tertium communicationis Idiomatum genus, quo in operibus officii utraq; Natura agit, quod sibi proprium est, cum communicatione alterius, nuncupatur à Cyrillo, & aliis passim, κοινωνεία, κοινωνία, κοινωνίης, κοινωνία εργάσιων, cùm persona hīc secundum utramq; naturam agat, & opera utrig; nature communia faciat. Appellatur quoq; κοινωνία δο-πλεσμάτων.* quia utraq; *Natura Christi, in operibus officii, non divisi, sed conjunctim & unitè agit, ad producendum unum δοτούμενα, quod ad utramq; Naturam refertur.* Secun-  
dum hoc genus δοτούμενα varia Christo attribuuntur, ut *Miraculorum*, Matth. 8. v. 3. Marc. 7. v. 34. Joh. 11. v. 43. &c. *Expiationis peccatorum*, Esa. 53. v. 4. Act. 10. v. 43. Eph. 5. v. 2. imò totius *Mediationis & redemptionis*, 1. Tim. 2. v. 5. Ubi obseruanda ordine, (1) *Fundamentum communicationis, remo-  
tum & propinquum.* Illud est unitas Personæ, & communi-  
catio Naturarum; hoc Appropriatio hypostatica, & com-  
municatio Majestatis. *Filius namq; Dei ideo assumpsit Hu-  
manam naturam, ut in & cum eâ, etiam per eam, opus  
redemptionis & partes officii Mediatorii perageret*, 1. Joh. 3. v. 8. quare non agit ut Deus tantum, nec ut tantum Ho-  
mo, sed ut Ιεραρχων. Unde hīc tria spectanda, *Princi-  
pium agendi, Res communicata, & Modus agendi.*

16. *Principium agendi Quod, est ipsa persona λόγος incar-  
nata, Damasco appellata ὁ ἵερης: Principium quo est  
Natura ipsa, ex quā actio prodit, Damasco τὸ ἱερητικὸν,  
utpote in tertio hoc genere, utraq; *Natura; Divina* quidem ori-  
ginale & formale, *Humana* verò organicum, ex virtute divinâ,  
per unionem hypostaticam sibi communicatâ, agens. *Res  
communicata* est, tum ἱεραγα, tum ἱερημα, tum δοτούμε-  
να. *ἱεραγα* est, secundum Damascenum, & operandi fa-  
cultas, & motus ipse, seu operatio, seu passio, per quam ὁ ἵερ-*

γῶν

Condi-  
tiones.

quæ constituitur actu operans vel patiens; ita ipsa Mortis passio, est *ένεργεια* Humanæ Christi naturæ. *ένεργητικη* est *ένεργεια* effectum alterutrius naturæ, Divinæ divinum, Humanæ humanum: Sic Mors est *ένεργητικη* humana, vita Mundi divine naturæ. *Απολέσμα* est effectum utrig. Naturæ commune, ex distincto, non tamen in operando diviso, Divina & Humana Naturæ energemate quasi compositum; inde veteribus opus Dei ergo nō dictum, quia utraq. natura hīc unita agit; sive illud tale sit, quod *Deitas sine carne* producere nequit, ut Mors vivificans, emundatio ab omni peccato per sanguinem, &c. sive ad quod perficiendum, ex liberâ voluntate carnem adhibet, ut Miracula edere. Modus agendi in operationum utriusq; naturæ communicatione consistit, sine confusione τῆς *ένεργειας*, & sine separatione operationum utriusq; Naturæ, sed cum communicatione operationum per *ἴδιοπόντια*, quatenus *Divina natura*, mediante *ἰδούσι*, appropriat sibi humanitatis actiones & passiones, & Humana natura divina agit, ex virtute divinâ, per unionem hypostaticam sibi communicat. Finis itaq; hujus communicationis est, Generis humani redemptio, Matth. i. v. 21. Gal. 4. v. 4. &c.

17. *Communicationis* hujus (2) consequens sunt *Predicationes*, quarum notanda erunt, *Subiectum*, *Predicatum*, & *Modus* *predicandi*. *Subiectum*, modò est concretum *Divina natura*, ut *Filius Dei* dissolvit opera *Diaboli*, I. Joh. 3. v. 8. Rom. 8. v. 3. &c. modò concretum *Humane natura*, ut *Filius mulieris* conteret caput serpentis, Gen. 3. v. 15. Confer Luc. 9. v. 56. Gen. 22. v. 18. modò concretum *persona*, ut *Iesus* est *Pontifex maximus* atq; aternus, Hebr. 7. v. 21, 22. vide I. Timoth. 2. v. 5. modò etiam in *subjecto* ponuntur termini abstractivi, ut *Sanguis Iesu Christi* *Filius Dei* emundat nos ab omni peccato, I. Joh. 1. v. 7. *Predicata* sunt ἀπολέσμata officialia, secundum utramque naturam intelligenda. *Modus* *predicandi* est verus atq; re-

aliissimus, ut quod *humanum* est in apotelesmate, prædicitur de *Divinâ Naturâ*, id est ex primo genere, & quod verè *divinum* est in apotelesmate, prædicetur de *Naturâ Humanâ* scilicet *christiana*. & propter Communicationem Majestatis, in genere secundo.

Defini-  
tio.

18. Ergo *Tertium Communicationis idiomatum genus* est, quo in operibus officii utraq; incarnati *christiana* natura agit quod suū est, cum communicatione alterius. *Actiones enim officii tribus* sicut Christo secundum utramq; naturam, juxta regulam Concilii Chalcedonensis. *Characteres & proprietas* hujus generis differentia innotescit à reliquis; nempe à primo differt, quia illic est persona *christiana*, secundum alterutram denominata naturā, hic persona incarnata secundum utramq; Naturam operatur; illic de personā *christiana* incarnati prædicantur alternative, modò *Divina*, modò *Humana*; hic ἀπολέσματα *tearum*. Differt à Secundo: Hic enim Christus secundum utramq; naturam, illie secundum *humanam tantum naturam* subjectum est: illic Prædicta occurruunt tantum sublimia, *Divina* scilicet *auxiliata Humana Naturae communicata*; hic prædicantur ἀποκλειστά, quæ & sublimia & humilia continent. §. Valde itaq; hic aberrant, (a) Pontificii, *Humanitatem Christi tantum esse causam instrumentalem*, non operantem per virtutem communicatam, sed per elevationem, statuentes; (b) Calviniani & Syncretistæ, varie disputantes, an & quomodo *Humana Christi Natura ad opera officii concurrat*, atq; ita de hoc Comunicationis genere dubitant & hærent. Sed hæc in præfens, pro ratione instituti, sufficient. *Domino nostro Iesu Christo*, qui factus est *victima pro peccatis nostris*, ac *premium redēctionis nostræ*, unà cum Patre & Spiritu S. sit *Laus, honor & gloria, in secula perpetua!*

AMEN.

\* \* \* \* \*